

quae Astarte, non es huius loci dirimere: cf. P. Scholtz, Goetzen Dienst u. Zauberpuppen, p. 230 sqq., Regensburg 1877. v. 4 « Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli ». Facile intelligitur, Heli pontifice quo tempore cultus tabernaculi profanabatur, eodem idololatriam per regionem late serpsisse, idque explicite affirmat Ps. 77 (78). Mortuo Heli et capta area debuit eadem angeri, magis etiam ideo, quod Samuelis prophethica auctoritas clade accepta probabilius immutata est, aliquorum mensium spatio usque ad arcam redditum. Eo tempore fuisse inter Hebreos idololatriam, colligitur ex Iud. 18, 31: « Mansitque apud eos idolum Michael omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel ». Perperam igitur Then., Wellh. conqueruntur, inter nostrum versum 2 et 3 desiderari nexum. Cf. universale effatum Iud. 2, 19: « Postquam autem mortuus esset iudex, reverberabant et multo faciebant peiora, quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis et adorantes illos ». — Alio praetextu v. 3 Hensler, Ew., Then. nexus desiderant cum prioribus. En. inquit, Philisthaei modi arcum demississime retulerant, nunc exhibent ut oppressores Hebreorum; Samuel iudicis munere fungitur, cum tamen nusquam ad illud assumptus esse legatur. Quos refutant Keil, Wellh. Arcae redditio non affecterat Philisthaeum supra Hebreos principatum: praelia nullo dimicatum est, urbs nulla recuperata. Dein Samuel haec ipsa occasione in iudicem assumptus est, exerceretur iam ante quasi iudiciale potestatem. — Dubitari hic potest, ea, quae v. 3 sq. narrantur, sintne singulare aliquid factum, quod populi conventum v. 3 Masphe actum praecesserit; an eventus per totos viginti annos continuatus, Samuele constanter ab idolorum cultu populum revocante, et praemium religiosi liberationis a Philisthaeis promittente, populo magis magisque eius monitis obsequente. Cum sit indubium admonitiones Samuels v. 3 revera constanter esse repetitas, et consequenter verisimilius sit, neque idolorum destructionem fuisse unius diei opus, praeplacet utrumque verum interpretari de repetita populi admonitione et successiva idolorum destructione. Habes hic viri vitam per viginti annos indefesse protractam; simul describitur populi requies seu adunatio post Dominum v. 2.

Magna extat divergentia lectionum v. 3 et v. 4, ubi voces habentur vel identicae vel affines. *Hebr. Vulg.* *Chald.* *deos alienos et Astaroth, Baalim, et Astaroth. Syr. deos alienos et lucos, Baalim et lucos;* ubi pro lucos verte *cippos*, et cf. *Ges. Thes. I. 162. LXX deos alienos et lucos, Baalim et lucos Astaroth;* ubi « lucos Astaroth » certe est spuria lectio ex duabus compacta. Iamvero *Astaroth et lucos nos* revocant ad duas voces hebr. *אֱלֹהִים אֶתְחָרֵת וְאֶתְחָרֵת*, permuta facilissima. Videlicet primitus in altero versu fuisse vox *אֶתְחָרֵת*, in altero *אֶתְחָרֵת*; illa sane in v. 4, cum ibi nomen Baalim adjunctam sibi vocem Astaroth vindicet, haec in v. 3.

v. 3 « Dixit autem Samuel : Congregate universum Israel in Masphe, ut orem pro vobis Dominum ». Masphe prope Lapidem Adiutorii, cf. 4, 1. 13; 7, 12, idem locus, quo prius iussu Dei 3, 21 Samuel populum convocaverat cladesque fuerat inflicta. Vel ipsum loci nomen promissio erat victoriae, ob peccata pridem dilatae, nunc tandem obtinenda, erat convocatio ad bellum: unde Philistini, ubi primum eum locum pugnacie ineunda optissimum ab Hebreis occupatum, in eoque Samuelem iudicem creatum compreverunt, eodem cum exercitu proficiuntur (*Calm.*). Somniatur igitur Then. putans, ideo Samuelem in Masphe, non in Silo populum convocasse, quod sacerdotum regimen, sibi ex filiorum Heli praevacaratione dudum exsum, infirmare et liberieren quendam Iehovae cultum introducere voluerit. Siluntem non erat populus convocandus, quod ibi non esset tum arca Domini; non in Silo se nocturnum victoriarum, prophetarum Deus promiserat. — Ut orem, vel *LXX et orabo* : finis orationis, tandem Deum inter et populum efficere reconcilationem, eiusque pignus obtinere victoram. Utique divino instinctu agebatur Samuel in populo Masphe convocando.

v. 6 « Et concreverunt in Masphe, hauseruntque aquam et effuderunt in conspectum Domini, et ieunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi : Peccavimus Domino ». Lap. : « Ecce hic tres actus poenitentiae : sc. contritio significata in effusione aquae; confessio, cum dicunt : Peccavimus Domino; satisfactio, cum ieunant ». Feerunt invitante et praeeunte propheta : bonum igitur est ieunium ad placationem obtainendam.

Adhibiti ritus sensum collige ex Then. 2, 19 : « Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini ». Est ergo effusio omnium cordis affectuum in oratione facta; quia vero tunc temporis Israelitae vel maxime agebantur affectu poenitentiae, recte ritus sensum explicat Chald. : *Effuderunt cor suum per poenitentiam sicut aquam coram Domino.* Rursus ritus significatio ex aliectis vocibus colligitor : *Peccavimus Domino.* Effusio igitur aquae erat symbolum dolorosarum admissi peccati confessionis. Utrum vero ea confessio in solis verbis *Peccavimus Domino* haeserit, an saltu peccata superius vituperata, vel etiam omnia singularum peccata distincte accusaverit, nescimus. Possumus insuper cum *Sanct.* ritum interpretari serii propositi significacionem : « Aiant, tam a se prolixiendam impietatem antiquam et deorum dearumque omnium memoriam, ut non minus excedant ab attimo, quam aqua, cum e vase, in quo conclusa fuerat, effunditur, eius neque sapor manet ullus neque odor ». Andacius fortasse nonnulli *S. Ephraem* (apud Ver.) : « Quasi dicent : Sicut aquas istas effundimus, sic noster sanguis effundatur, si in posterum a Domino defecerimus et ad deos gentium transierimus ». — Porro effusio sola in illo rito symbolica erat, aquae haustio praecedere debebat effusionem. Nolim eius ritus vestigium Ps. 21 (22), 15 et 2 Reg. 14, 14 invenire, sed meram sermonis figuram. — Israelitis ieun-

nantibus et peccata accusantibus, adiuv locus fuit Samuelis intercessio pro populo v. 3; unde aperte sequitur, non repugnare, ut, ipso peccatore delicta testante et accusante, alter homo tanquam minister remissionis sive impetrandae sive clargiendae interveniat.

« *Judicavitque Samuel filios Israel in Maspheath* », i. e. index factus est (*Calm.*); usurpatur h. l. vox *judicavit* eo sensu, quo alias sexcenties (cf. 3 Reg. 11, 43; 14, 31 etc., etc.) vox *regnavit*, de accepto sc. primum imperio. Prophetae partes iam egerat Samuel, iudicante Heli, cf. 3, 20 sq. Quo demortuo intercesserunt anni viginti oppressionis Philistiae (similia habet Iud. 3, 14; 6, 4; 10, 8; 13, 1). Tandem Samuel propheticus instinctu populum convocavit Maspheath, ibique index ab omnibus agnitus est. Ipsum factum, quod Israelitae cum agnoverint iudicem in eodem loco, ubi viginti annis ante cladem fuerant experti, eiusque prophetica auctoritas apud plures fuerat obscurata, ostendit, quam integra et sincera iam fuerit Israelitarum conversio.

v. 7 « *Et audierunt Philisthiim, quod congregati essent filii Israel in Maspheath, et ascenderunt satrapae Philistinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philistinorum* ». Sanet. : « *Expatiavit Israel, iamdudum desuetus arma tractare* ». Ascendunt satrapae omnes, cum omnibus suis copiis, qui saepe iam minori bellico apparatu Hebreos deviciissent. v. 8 « *Dixeruntque ad Samuelem : Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum* ». Exprimunt hic filialis fiducia temperata agitatio propriae indignitatis, quantum diversa a presumptione 4, 3 expressa l. v. 9 « *Tulit autem Samuel agnum lacientem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino; et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudiavit eum Dominus* ». Respondit ei autem fragore de caelo facto v. 10. — נָאכַל masc., integrum, refertur ad נְבָרֵךְ agnus, non ad holocaustum, et dicunt vel de rei totalitate, vel de eius perfectione, vel de utraque simul. *Solian. Menoch.* intelligunt agnum integrum i. e. non dissecatum, quod ingruitibus Philisthaeis tempus defuerit ad illum dissecundum. *Calm.* aliquique pleonasmum consent, ut sit idem, quod holocaustum.

Agnus hic ex Lev. 22, 27 saltem octiduum natus erat. Cur vero eiusmodi agnulus seligebatur? Longius petita videtur explanatio *Kef*, fusse illum imaginem populi per conversionem novae vitae restituti. Ex Lev. 22, 17 sqq. animalia prosectoris aetatis fere a sacrificiis excludebantur, cum longe facilius aliquo ex defectibus ibi enumeratis laborarent. Animalia tenerioris aetatis Deo esse gratioria, colligi poterat inde, quod toties animalia « *annicula* » pro sacrificiis praescriberentur.

v. 10 « *Factum est autem* », — prae autem verba enim : explicatur modus, quo exauditus est (v. 9) Samuel a Domino — « *cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim invicem praelium contra Israel; intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos et caesi sunt a facie Israel* ». Addit de sui terrae motum *Ios.*, in amplificando s. texto non raro liberior; sed Iob 37, 4 eadem expressio certe solum tonitru significat. Ita etiam Eccli. 46, 19 sqq. nostrum textum intellexit: « *Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati* » (LXX lac-tentis). « *Ei intonuit de caelo Dominus, et in sonitu magno auditam fecit vocem suam, et contrivit principes Tyriorum et omnes duces Philisthiim* », v. 11 « *Egressique viri Israel de Maspheath, persecuti sunt Philisthaeos et percosserunt eos usque ad locum, qui erat subter Bethchar* ».

LXX Βασθέσετο Ιωαννης, quod in idem reddit. Chald. בִּיה שְׁרֵן ; Syr. בִּיה שְׁרֵן. Ultimam formam secutus *Wellh.*, putat esse Iesana 2 Par. 13, 19. Eadem formæ adhaerens *Houb.*, putat intelligi Sen. v. 12: « *Quorum nos concordiam secuti sumus, quia idem utrobius locus agitur : id enim series persuadet. Ibi monumentum victoriae collocatur, ubi pugna commissa est, nempe inter Maspheath et eam locum, ubi Israelitae fugientes hostes assecuti sunt* ». Attentis consonantibus, quas diversæ lectiones offerunt, neque improbabile est, fusse primus in textu בִּיה שְׁרֵן, Bethoron cf. 13, 18, quae urbs adiacebat itineri frequentatissimi Philisthaeum versus septentrionalem.

v. 12 « *Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Maspheath et inter Sen, et vocavit nomen loci illius Lapis Adiutorii; dixitque : Hucusque auxiliatus est nobis Dominus* ». Sen alibi non habetur et tamen expectares, s. auctorum situm loci minus noti, Lapidis Adiutorii, per notiores aliquem locum explicaturum fuisse. LXX verterunt veterem, legerunt igitur יְשָׁרֵן ; id ipsum legebatur Syr., corrumptens בִּיה שְׁרֵן. Non tamen h. l. intelligi potest Iesana 2 Par. 13, 19 (*Ios. Izvvz*), urbs in finibus Ephraim sita, haud longe a Bethel et Ephron. Neque Esna (אֶסְנָה) Ios. 15, 43, haud longe a Nesib, Ceila et Maresi in tribu Iuda sita ; nequaquam enim ex Maspheath eo dirigi potuit fuga. Optime e contra quadrat Asena (אֶסְנָה) Ios. 13, 33, prope Saream et Zanoam atque ad septentrionalem Socho et Azecae sita, locus, uti videtur, obvius iis, qui e Masphe fugerent Azotum. *Hucusque*, non « *hucusque tantum* », fortasse non nihil longius.

iudicis officii, quam auctor Historiae Samuelis scribendam sibi proposuerat. Quinque versibus, quibus iam narratio concluditur, edocemur, ad quos limites Samuelis potentia pertigerit, et qua ratione intra illos iudicis officio functus sit.

v. 13 « *Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis.* » Verba sunt plana, sensus difficultatem parit. Et primum, quomodo negantur Philisthaei venisse in terminos Israel *cunctis diebus Samuelis*, qui eo tempore, quo Samuel Saulum unxit, omnia Hebraeis ademissaent ferrea arma? Respondent plures, verba *cunctis diebus Samuelis* ad solam alteram, non ad primam versus partem pertinere. Quae responsio, licet sit minus obvia, admitti tamen potest. Dicimus autem minus obviam, quod s. auctor in eis esse videatur, ut universalis quodam conspicuus describat, quomodo Samuel iudicis munere functus sit: ergo singularis sententiae sensu obvio de « *cunctis diebus Samuelis* » intelligantur oportet, licet ea verba non singulis affigantur. *Malv.* : « *Est proleptica narratio omnium, quae tempore Samuelis contra Philisthaeos contigerunt.* » — Ea tamē responsione admissa manet illud, quod evidenter habet textus, *Philisthaeos non ultra venisse in terminos Israel. Quod Menoch. explicat, non venisse « longo tempore »; et Himpel non venisse, quādū acceptae clavis effectus perdurarent; et Sanct. « Redierunt sane», inquit, « Philisthiim tempore Saulis et adhuc vivente Samuele, imo fortasse aliquando Samuele regnante, licet id raro et successu nullo; verum quia post longum tempus et irrito conatu, dicuntur non ultra rediisse» ». Sed nota, tria sententiae membra sibi in *Hebr.* simplici copula iuxtagoti: Et humiliati sunt, et non apposuerunt, et facta est. Cum ergo tertium membrum certe de *cunctis diebus Samuelis* affirmetur, sensus obvius sane est, idem esse *non ultra secundi* membra, atque *cunctis diebus Samuelis*. A sensu autem obvio, nisi ob solidas rationes, recedere non licet. — Sed oritur tercia et gravior difficultas ex verbis *Facta est itaque etc.*, quorum sensus evidenter est, totum illud tempus, quod *cuncti dies Samuelis* appellatur, fuisse Philisthaeis tempus cladum et prostrationis; idque confirmat v. 14 enumerans urbes, quae illis fuerint erexit non solum in montanis Iuda, sed vel in ipsa planicie Philisthaica. At quae nobis narratur inde a cap. 13, longe diversam rerum conditionem describunt. Philisthaei in medium Iudeam penetraverunt; omnia Iudeacis arma ademerant; Saulis Victoria 14, 46 incompleta mansit; brevi post Samuelis mortem Philisthaei 28, 1 viribus minime fractis ad certamen redeunt et Hebraeorum copias in monte Gelboe fundunt. Quomodo ergo vere scribi potuerunt verba illa *Facta est itaque etc?* Vere scribebantur, si sat diu ante prophetae obitum scribebantur, quo tempore Philisthaei*

nondum feliciter dimicaverant. Priora septem capita conscripta fuere ante Samuelis mortem et ab ipso Samuele: cunctis diebus, qui eousque effluxerant, facta erat manus Domini super Philisthaeos; cunctis illis diebus non ausi sunt regioni Hebraeorum pedem inferre. Haec solutio praferenda, quia nullam textui vim infert, omnia eius membra sensu obvio intelligi permittit.

v. 14 « *Et redditiae sunt urbes, quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth et terminos suos; liberavitque Israel de manu Philistinorum.* » Haec facta sunt in diebus Samuelis, citius aut serius. Contra *Vulg.* *Syr.* inunguit *Hebr.* *LXX Chald.*: et terminos earum liberavit Israel. — « *Eratque pax inter Israel et Amorrhæum.* » De Amorrhæis fit mentio, quia post Philisthaeos infensissimi meridiem versus Israëlitæ erant. Quam late ibidem patuerint, ostendit Num 13, 30; Ios. 3, 1; 7, 2, 7; 10, 3; Ind. 1, 34; 3, 5.

Obicit *Then.*, otiose post urbium etiam terminorum liberationem referri: quod evidens sit cum urbibus etiam terminos esse occupatos. Verum quoad urbes Philisthaeae finitimas illud evidens nequam est, neque raro, ipsis urbibus occupatis, difficile et operosum est, earum terminos ab inimicis purgare. — *Geth* et *Accaron* non dicuntur ipsae in potestatem Iudeorum esse redactae; sed linea describunt, quae pridem separaverat nuncque rursum separabat Philisthaeam et Iudeam, linea ab Accaron descendens versus *Geth*. Quidquid illa linea includebatur, i. e. ad orientem eiusdem situm erat, in potestatem cessit Hebraeorum (*Est.*). — Nondum compertum est, quo loco fuerit *Geth*.

v. 13 « *Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitae sua.* » Additur brevis conspectus rationis, qua Samuel iudicis munere functus est. Illud in totis his septem capitibus adverte, narrata inseri quidem vita Samuelis, cuius breviarium aliquod singularum paragraphorum initio praefigitur; in narratione tamen ipsa non tam Samuelis personae primas partes assignari, quam potius iudicis et magnilibus Dei. Auctor vero modestus Samuel de se non plus loquitur, quam quod narrandorum series exigit. — Quomodo index fuit Samuel *cunctis diebus vitae sua*? Filii 8, 1, 5 utique sub patre iudicis officio functi sunt. Quid vero de Saulo? Sanct. censet Samuelem paulo post unctionem Saulem defunctum esse vita, et ita moraliter verum manere, illum *cunctis diebus vitae sua* iudicem fuisse. *Calm.* affirmat, etiam regnante Saulo retinuisse Samueli iudiciale potestatem; additique *Clair*, id patere ex Davidis unctione facta regnante Saulo, praefuisse Saulem exercitu, Samuelem vero summam imperii retinuisse. Verum ad ea, quae afferuntur, facta explicanda sufficit Samuelis propheticæ auctoritas; speciatim regum unctionis alias etiam per prophetas effecta est. 4 Reg. 9; licet Saul rei belli-

cae operam maxime navarit, plenam tamen et veram obtinebat regiam potestatem, qualem habebant reges gentium 8, 5, speciatimque potestatem « iudicandi », ib. Optima solutio est, quam tradidimus ad v. 13, haec septem capita scripta esse a Samuele ante regni institutionem, neque post hanc esse mutata: tum ad literam verum erat, indicasse Samuelem Israel *cunctis diebus vitaे sue*, qui sc. eousque effluerint.

v. 16 « *Et ibat per singulos annos circuens Bethel et Galgala et Masphath; et iudicabat Israelem in supradictis locis* », v. 17 « *Re-vertebarque in Ramatha; ibi enim erat domus eius, et ibi iudicabat Israelem; aedificavit etiam ibi altare Domino* ». Iudicalis regiminis ambitus et ordo describitur. Samuelis, sicut aliorum iudicium, auctoritas non ad omnes tribus, vel certe non ad omnes aequaliter se exten-debat. Princeps sedes erat in Rama, civitate eius, in tribu Iuda; meridionalis tamen eius tribus pars cum tribu Simeon tum se videtur intimius illi adiunxisse, quando visum est filios constituere iudices in Bersabee 8, 2. Robur reipublicae tum erat in tribu Beniamin, tam natura quam ob constantes Philisthaeorum incursiones bellicosissima; quae tribus duo obtinebat fora iudicialia, Galgala et Maspha, dum tertium Bethel eiusdem finibus proxime adiacebat. In Bethel sane iudicabatur a Samuele tribus Ephraim, saltem potior eius pars. Tribus reliqua non ita immediate Samuelei suberant; suberant tamen, ut patet ex facto electionis Saul 10, 19 sq., et ex viris Iabes Galaad cap. 11 in angustiis ad Samuelem recurrentibus. — Samuelem enumera loca etiam eo, quo in textu recensentur, *ordine circuivisse*, ex sequenti narratione colligi videtur. Saul cap. 9 convenit Samuelem sacrificium offerentem in *Rama*; 10, 3 agitur de viris ascendentibus in *Bethel*, ut videtur, ibi sacrificati, unde supponere fas est, Samuele tunc eodem sacrificiorum causa ascendisse; *Galgala* quidem non fit mentio; sed mox 10, 17 populus *Maspham* convocatur. Ex 16, 5 patet, Samuelem ad alia quoque loca quandoque sacrificiorum causa venisse, quasi per modum exceptionis. — Tandem etiam his versibus confirmatur, quod diximus, describi rerum conditionem, qualis obtinuit, non usque ad mortem Samuelis, sed usque ad tempus eius mortem sat diu antecedens, quo ipse hanc narrationem conscripsit; quo sc. tempore ipse nondum ita senuerat, ut iudicandi onus cum filiis dividere, novamque iudicii sedem in Bersabee instituere cogeretur.

Loci illi erant ex tota traditione angustissimi. In *Bethel* bis Deus Iacobo apparuerat isque « *titulum erexit, fundens oleum desuper* » (Gen. 28, 18 sq.; 35, 14 sq.), unde nomen sibi Deus assumpserat « *Ego sum Deus Bethel* » (Gen. 31,

13); tandem locus ob antiquam religionem a Ieroboam cultu viiolorum aureorum desecratus est 3 Reg. 12, 28 sqq. *Galgala* prima populi electi statio cis Iordanem fuerat Ios. 4, 19; 5, 10 sq., inter Iordanem et Iericho sita. *Maspha* iam ante sacra Hebreis fuerat Iud. 11, 11; 20, 4, sanctio nunc ob memoriam vividissimum animis impressam ostensa ibi divinae protectionis. Ea loca iam ante altaria habuerant: altare *Ramae* extrectum v. 17 explicite commemoratur. — Miraberis inter loca sancta non recenseri *Silo*, quae sedes sacrorum fuerat inde ab occupata terra sancta Ios. 18, 1; 49, 51; Iud. 18, 31. Sed textus affirmat, post mortem Heli Samuelem, relicta Silo, Ramae sedem fixisse. Erat effectus divinae reprobationis, quam contra Silo factam esse Ps. 77 (78), 60, 67; Ier. 7, 12, 14; 26, 6, 9 docemur, quamque divina revelatione Samuelem innotuisse dubitare nefas est. Fortasse etiam Silo, post Israëlitas in Ebenhaezer caesos, a Philisthaeis vastata fuit. Tabernaculum foederis, arca orbatum, postea (1 Reg. 21, 7) offendimus in Nobe, civitate sacerdotum Ithamaridarum, quae 22, 19 a Saul funditus destruta legitur. Inde translatum est in Gabao (1 Par. 21, 29; 2 Par. 3), civitatem sacerdotalem (Ios. 21, 17), fortasse ideo etiam selectam, quod non longe abesset a Cariathiarum (Ios. 9, 17) et ita spem offerret areae rursus tabernaculo inferendam. Quod tamen nunquam effectum est. Imo postmodum David, quando arcam de Cariathiarum transtulit in Ierusalem, non antiquum tabernaculum ex Gabao requisivit, sed novum construxit 2 Reg. 6, 17; 7, 2; 1 Par. 15, 1; 16, 4; 2 Par. 1, 4; quod ipse vix fecisset, nisi de novo tabernaculo priori substituendo sibi constitisset. In tabernaculo hoc antiquo apponabantur panes propositionis 1 Reg. 21, 6, aderat altare aeneum 2 Par. 1, 5 et 6, et, ut dubitari nequit, offerebantur sacrificia lege praescripta, cf. 3 Reg. 3, 4, ea fere ratione, qua longe post, in secundo templo, et ipso arca ornato, offerti conseruerunt. Negari tamen nequit, illud tabernaculum, usque ad Salomonem, neglectum quodammodo fuisse, neque a plebe tantum sed ab ipso Samuele, qui nunquam ibi sacrificasse narratur, nunquam eo populum convocasse. Num id forte factum est, quod sacerdotes Ithamaridae illud sibi tabernaculum tamquam reu suam vindicaverint et, tamquam palladium contra mala a Samuele sibi indicta 2, 27 sqq., ex una urbium suarum in alteram, eo inconsueto vel etiam omnib[us] transportaverint, quem dein sacerdotum errorem s, anctor reverenti silentio suppresserit? Tribuit quidem ei tabernaculo Salomon honorem (3 Reg. 3, 4): at non nisi post expletam Samuelis praedictionem domumque Ithamar definitive a pontificatu remotam (3 Reg. 2, 27). Tum etiam tabernaculum in Ierusalem translatum (3 Reg. 8, 4; 2 Par. 3, 5) et in quadam templi parte reconditum est.

Verum gravis hic solvenda superest difficultas, quomodo Samuel potuerit alii, quam apud tabernaculum, locis altaria ergere sacrificiave offerre; et quomodo omnino sacrificare potuerit, cum ipse sacerdos e familia Aaronica minime esset. Et primum quidem plura recensentur iudicium tempore sacrificia, non apud tabernaculum oblata: Gedeonis (Iud. 6, 24 sqq.), Manue (13, 16 sqq.), aliudque in loco flentium (2, 3),

tandem sacrificia a Samuele in variis locis excelsis, non tamen antequam in iudicem esset electus, peracta. Duo priora, Deo diserte approbante, locum habuerunt; sacrificium prope Lapidem Adiutorii oblatum Deus portentoso eventu confirmavit; reliqua omnia ita referuntur, ut intelligamus, ea a s. auctore pro actis Deo acceptis haberi; nulla usquam reprehensionis nota affigitur. Quod 1 Reg. 18, 13; 15, 22 in Saule carpitur, non est sacrificii procul ab arca attentata oblatio. 16, 2 praetextus sacrificii in Bethlehem, ergo procul ab arca offerendi, ab ipso Deo Samuelem suggestur. Quae facta omnia insinuant, eiusmodi tum sacrificia de se, non solum vi particularis cuiusdam divini privilegii, licita fuisse. Ea vero, quae Lev. 17, 3 sq. emuntiatur, sub poena mortis lex, ut non quolibet animali mactato oblatio offeretur ad ostium tabernaculi, valet tantum pro tempore, quando Israelitae in deserto «in castris» versabantur, et pro terra sancta partialiter abrogata est Deut. 12, 13 et 21. Alia, quae Deut. 12 habentur, valent unice pro tempore extucti templi. Quando sc. Israelitae requiem habuit sunt a cunctis hostibus per circumatum, et absque ullo timore sunt habitantur (v. 10), tum «cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo quem elegit Dominus, in una tribum tuarum offeres hostias et facies, quae cumque praecepio tibi» (v. 13 sq.). Ergo ante extuctum templum non era simpliciter illicitum, sacrificare alio, quam ubi esset arca, loco. *Theodore.*: «Sacro templo nondum aedificato, Deum colebant in diversis locis. Puis enim et scopum legis scientibus locus quilibet locus Dei cultui consecratus erat». *Est.*: «Per id tempus arca non habebat stabilem mansionem, idque usque ad tempus, quo templum fuit extuctum a Salomone; et interea putant non fuisse peccatum immolare in excelsis, modo vero Deo». Rursum sacerdotibus Aaronicis unice licet in tabernaculo immolare; et hoc utique sensu dicitur Num. 3, 10 (cf. 18, 7): «Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. Num. 16 interimur Core aliquis ob attentatum sacerdotii apud arcam exercitium. Postaedi- ficutum templum severe reprehenditur et punitur Azarias rex, quod incensum ipse adoleverit. Verum ante illud tempus plures, qui sacerdotes Aaronici non erant, cum laude sacrificavere. Ubi illud primum videndum, intelligendane sint ea sacrificia omnia ministerio sacerdotum stirpis Aaron esse oblata. Quod tamen adstrui nequit in sacrificiis Gedeonis, Manue, Eliae; et communiter negatur de Samuele, utvis affirmat *Est.*, in 4, 4 et 13, 12 et *Mar.* in 7, 9. Admissio igitur, Samuem nonadscito sacerdote sacrificasse, quo iure id fecerit ambigitur. Ubi plures eum coniiciunt speciali divino induito seu dispensatione sacerdotem fuisse: *Sanct.* in 2, 33; *Tir.* in 2, 31; *Gord.* in 2, 33; *Lap.* in 7, 9; *Menoch.* in *Lev.* 17, 3; eodemque, uti videtur, sensu dicit *S. Thom.* (in *Hebr.* cap. 7 lect. 3),

fuisse «sacerdotium translatum in Samuelem». E contra *Calm.* ad 13, 12 pluribus defendit, ante extuctum templum eodem iure et Samuelem et Saalem sacrificasse, quo licuerit alii a tabernaculo locis sacrificare. Verum undenam fluebat illud ius? In lege mosae nec nullibi exprimitur. Erit ergo potius repetendum ex lege ante Moysen vigente et non nisi extuctio templo ultimatum extincta. Ubi quaestio nostra in alteram resolvitur, quando et quo ordine lex illa Moysie antiquior quoad Hebraeos fuerit abrogata. Legem quidem veterem non nisi successione quadam esse promulgatam novimus: circumcisioem Abrahae tempore, alia vivente Moysi, sed diversis temporibus, dum, quae templum spectarent, non nisi diu post obligandi nacta sunt vim. Potius ergo lex etiam patriarchalis non nisi successione aliqua apud Hebraeos abrogari, ut quae sacrificia spectarent, alii utique quam prope arcum locis offerenda, vim suam retinuerint usque ad extuctum templum. — In hac opinionum varietate, rem in medio relinquimus.

---